Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

Vivunt quoque ad utile non ad honestum magis quam oporteat. quoniam se ipsos maxime amant. utile namque sibi. Honestum vero simpliciter bonum est. Inverecundi quoque magis quam verecundi. Nam quoniam non similiter de honesto atque utili curant. existimationem contempnunt. male quoque spei sunt. tum propter experienciam quoniam plurime rerum viciose sunt: multe quoque ad peius tandem adveniunt: tum propter timiditatem. Vivunt quoque memoria magis quam spe. Nam futurum vite huius sibi est. Preteritum multum. Spes autem futurorum est. Memoria vero preteritorum. quod causam etiam loquacitatis sibi affert. Perseverant autem enim preterita narrantes quoniam recordantes voluptate afficiuntur. Ira vero acuta quidem est: sed infirma. cupiditates quoque alie defecerunt: alie infirme sunt. Quare neque cupidi sunt: neque secundum cupiditates. Sed secundum lucrum actum. Ideo vero ad modestiam quoque apti grandes natu videntur. Nam et cupiditates deferbuerunt et ipsi lucro serviunt. Vivunt quoque magis raciocinatione quam moribus. Nam raciocinacio utilitatis est. Mores autem virtutis. Iniurias vero non in contumeliam sed ad nocendum faciunt. ad commiserationem preterea parati sunt: sed ea non de causa qua iuvenes. nam iuvenes ex humanitate: senes vero aut ex imbecillitate. Omnia enim impendere sibi putant: propeque esse ut paciantur. Ideo vero aptitudo ad commiseracionem erat. Unde queruli sunt: non dicaces neque faceti. contrarii enim sunt queruli atque faceti. Iuvenum igitur ac senum mores huiusmodi sunt. Quare cum omnes oracionem probent: que moribus suis accommodetur: atque eis similis sit: non latet quomodo utens oracione tam ipse quam oracio huiusmodi videtur etc. Capitulum 18

De moribus etatis medie etc.

Constantis vero mores etatis inter hos versabuntur. utrorumque fugientes excessum: et neque valde con